



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Disputatio II. De objecto materiali fidei divinæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

sit in omnibus suis partibus canonicum & divinum, pararet aliquod miraculum.

Obj. 6. Omnis assensus fidei divinæ resolvitur essentialiter in propositionem & auctoritatem Ecclesiæ, tanquam in partem objecti formalis. Ergo nullus assensus fidei divinæ potest esse sine propositione Ecclesiæ. *R. neg. ant.* Nam assensus fidei divinæ essentialiter resolvitur in primam veritatem revelantem, tanquam in objectum formale adequatum. Prima autem veritas revelans, quæ talis, potest sine auctoritate Ecclesiæ sufficienter proponi ad credendum, & quoadque proposita est.

DISPUTATIO II.

De objecto materiali fidei divinæ.

ARTICULUS I.

Utrum objectum materiale fidei divinæ sit necessario verum.

Nota. Objectum materiale fidei divinæ adequatè sumptum, consistit in collectione omnium veritatum revelatarum à Deo. Dividitur, vel totum in partes, in objectum attributionis, & attributum. Objectum attributionis est illud, ad quod cetera revelata referuntur, & est Deus cum sui perfectionibus: nam reliqua omnia idèò revelata sunt, & per fidem creduntur, ut Deus ejusque perfectiones melius cognoscantur. Unde reliqua omnia revelata dicuntur & sunt objectum attributum fidei.

Item objectum materiale fidei dividitur, vel totum in partes, in veritates primarias, & secundarias. Veritates primariæ sunt illæ, quarum fides ad salutem necessaria est, & vocantur Articuli fidei; quorum præcipui in Symbolo Apostolorum continentur. Veritates secundariæ sunt illæ, quas ad salutem consequendam necesse non est credere, sed factis est, si non discredantur, aut in dubium revocentur: neque idcirco dici possunt inutiliter revelatæ, quia suo modo conducere possunt ad manifestandas perfectiones divinas, puta ut partes integrales historiae declarantis providentiam, & bonitatem, vel aliam aliquam perfectionem divinam.

Nota iterum. Inter veritates revelatas aliæ sunt per se absolute necessariae, ut quodd Deus sit unus in essentia, & triplus in personis; quodd sit omnipotens, æternus, &c. Aliæ verò sunt secundum se omnino contingentes, ut quæ revelata sunt de incarnatione, de vita & miraculis Christi, &c. Unde sumitur occasio querendi utrum res à Deo revelatæ, saltem prout subsunt divinæ revelationi, ita sint necessario veræ, ut qui credit rem revelatam propter revelationem divinam, nec fallatur, nec falli possit unquam.

RESPONSIO.

Res à Deo revelatæ, quatenus subsunt divinæ revelationi, sunt infallibiliter veræ infallibilitate absoluta.

Prob. Absolute impossibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis. Ergo, &c. *Prob. ant.* Si possibile est res à Deo revelatas, falsas esse ex hypothesi revelationis, possibile est Deum revelare falsum. Atqui absolute impossibile est Deum revelare falsum. Ergo, &c. *Prob. min.* Si possibile est Deum revelare falsum, vel quia potest judicare de rebus aliter quàm sunt, & ita falli circa id quod revelat; vel quia potest loqui de rebus contra iudicium suum, & ita fallere circa id quod revelat. Neutrum dici potest. Non primum, nam aliqui Deus non erit infinite sapiens. Non etiam secundum, nam aliqui Deus non habebit summam veracitatem, nec summam auctoritatem in dicendo, & ita non erit ens, quo nihil melius cogitari potest.

Confirm. utraque pars. Quia esse infinite sapientem, esse summè veracem, habere summam in dicendo

auctoritatem, sunt perfectiones simpliciter simplices, proindeque clarè continentur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, clarè continetur in integra idea entis summè perfecti, & quo nihil melius cogitari potest. Ergo nec falli, nec fallere posse, essentialiter convenit Deo. Unde non minus verè quàm eleganter dicit Augustinus lib. 1. de Symbolo c. 1. *Deus omnipotens est, & cum sit omnipotens, mori non potest, falli non potest, mentiri non potest, & quod Apostolus ait, negare se ipsum non potest. Quam multa non potest, & omnipotens est: Et idèò est omnipotens, quia ista non potest: nam si mori posset, non esset omnipotens, si mentiri, si falli, si inique agere non esset omnipotens: quia si hoc in eo esset, non fuisset dignus qui esset omnipotens.*

Obj. 1. Multa Scripturæ loca sunt contradictoria. Ergo & falsa ex aliqua parte: nam ex duobus contradictoriis unum est verum, & alterum falsum. *Nego ant. Probabis.* Genes. cap. 4. v. 9. dicitur: *Noe vir iustus, atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit, Et v. 12. Omnis caro corrumperat viam suam super terram.* Item Genes. cap. 1. scribitur Deum creasse mundum sex diebus: Ecclesiastici verò cap. 18. creasse omnia simul. Item Gen. cap. 32. Jacob ait, *Vidi Dominum facie ad faciem.* Et Exodi cap. 20. dicit Deus: *Non videbit me homo, & vivet.* Item Ezech. cap. 18. legitur: *Filius non portabit iniquitatem patris:* Et Exodi cap. 20. Deus ait se visitare iniquitatem patrum in filios usque in tertiam & quartam generationem. Item Job cap. 1. confitetur se peccasse: *Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum?* Et cap. 27. contrarium affirmat. *Neque, inquit reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Item Paulus Rom. cap. 3. sic habet: *Arbitramur justificari hominem sine operibus legis: & Jacobus epist. suæ cap. 2. Videtis quia ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantum.*

R. ad 1. Cum dicitur, *Omnis caro corrumperat viam suam;* tò, omnis summi in suppositione restricta. Pro quo nota, Deum in Scripturis non semper uti propositionibus universalibus in rigore metaphysico, sed interdum uti in sensu morali, in quo parum pro nihilo reputatur, & dicitur omne aut totum id quod ferè totum est. *R. ad 2.* sensum Ecclesiastici esse Deum esse æquè omnium rerum creatorem, quamvis non eodem tempore, sed successivè creaverit. *R. ad 3.* Jacob loqui de visione Dei sub specie externa & sensibili, Deum verò de visione essentiali suæ in se ipsa. *R. ad 4.* Deum in primo loco loqui de poena spiritali, & in secundo de poena temporali. *R. 5.* in primo loco agi de peccatis levibus, & in secundo de gravibus. *R. ad 6.* Paulum loqui de operibus merè naturalibus, Jacobum verò de operibus factis ex fide & gratia Christi.

Obj. 2. Habentur in Scripturis variæ prædictiones & promissiones, quæ non fuerunt impletæ. Item Gen. cap. 4. Deus affirmavit Caino eum non esse occidendum, & tamen à Lamech occisus est. Item Joan. c. 7. v. 8. Christus asserit se non ascensurum esse ad diem festum, & tamen ascendit, ut constat ex eod. c. v. 10.

R. ad 1. prædictiones & promissiones illas fuisse conditionatas; unde mirum non est, quod conditione non purificata, non fuerint impletæ.

Nota obiter, promissiones, sicut & comminationes divinas, sæpè specietenus absolutas esse, in eisque subintelligendam conditionem aliquam, vel exceptionem. Non tamen ad quemlibet pertinet ejusmodi condiciones vel exceptiones promissionibus aut comminationibus divinis apponere; sed ut asserantur, debent constare vel ex ipsa Scriptura, vel ex Traditione, vel ex authentica Ecclesiæ declaratione, vel ex ipsa evidentia propositionis, qua promissio vel comminatio continetur, vel denique ex gravi aliqua & evidenti ratione, abique ullo inconvenienti.

R. ad 2. Deum non respondisse Caino eum non esse occidendum, sed eum non esse occidendum impune, ut patet ex ipso textu: nam Caino dicenti;

Om-

Omnis igitur, qui invenerit me, occidet me; respondet Deus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Carnem, septuplum punietur.

R. ad 3. Christum rogatum, ut ascenderet ad diem festum palam & publice, juxta sensum & petitionem eorum, à quibus rogabatur, respondisse se non ascensurum, palam scilicet & publice; quod & præstitit: nam ut ascenderent fratres ejus, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifeste, sed quasi in occulto.

Obj. 3. Aliqui in Scriptura falsum locuti sunt ex instinctu Spiritus Sancti, ut cæcus à nativitate, cum dixit, Joan. cap. 9. *Peccatores Deus non audit.* Imò multi in Scriptura ex instinctu Spiritus Sancti mentiri sunt, ut Jacob, cum respondit patri, Gen. c. 27. *Ego sum primogenitus tuus Esau.* At Abrahamus, cap. 22. ubi dicens servus se reverentem ex monte cum filio Isaac, contra mentem locutus est. Ergo Deus potest per alios falsum loqui & mentiri. Ergo potest etiam per se ipsum: nam qui potest per alios mentiri, potest etiam per se ipsum: cum mentiri per alios & mentiri per se ipsum, sint idem in estimatione prudenti.

R. neg. ant. quoad utramque partem. Neque enim omnia dicta vel facta à quibuslibet personis, etiam à Patriarchis, & aliis sanctis viris, quæ in Scripturis narrantur, à peccato excusari debent, aut possunt; proindeque non omnia facta vel dicta etiam Patriarcharum, vel aliorum sanctorum virorum, quæ narrantur in Scripturis, Deo inspiranti attribui debent, vel possunt. In Scripturis instinctu Spiritus Sancti loquuti sunt Christus, Prophetæ, Apostoli, alique sanctiores viri, laudati à Scriptura, dum loquuti sunt dogmaticè, & ex quorum dictis Ecclesia vel Patres argumentantur.

Ad 1. exemplum R. 1. gratis & sine fundamento dici quod cæcus natus loquutus sit ex instinctu Spiritus Sancti, cum dixit peccatores à Deo non audiri. *R. 2.* cæcum natum verum dixisse, si intellexit peccatores à Deo non exaudiri, ad patranda miracula, quibus homines in errorem inducantur, & in confirmationem alicujus falsi dogmatis: quem sanè sensum habere potuerunt verba cæci in iis circumstantiis, in quibus prolata fuerunt.

Ad 2. R. 1. Angustinum, aliosque Patres excusare Jacob à mendacio, juxta quorum mentem concedi potest loquutum esse ex instinctu Spiritus Sancti. *R. 2.* non deesse, qui sentiunt Jacob mentitum esse, sed negant eum ex instinctu Spiritus Sancti loquutum esse.

Ad 3. R. conced. Abrahamum loquutum esse ex instinctu Spiritus Sancti; sed nego illum esse mentitum: non enim contra mentem loquutus est, quia sperabat Isaac brevi post immolationem ad vitam revocatum iri, ut promissiones de illo factæ impleverentur.

Obj. 4. Deus potest decipere. Ergo potest falsum revelare. *R.* Deum posse decipere, non directè, falsum asserendo, sed permissivè: potest enim permittere, propter mala hominum merita, ut decipiantur, & hanc deceptionem sibi tanquam non impediendi & liberè permittenti attribuerent. Hoc sensu explicandum est illud lib. 3. Regum cap. 22. *Dedit Dominus spiritum mendacii in ore omnium prophetarum tuorum.* Et illud Ezechielis cap. 14. *Propheta cum erraverit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi prophetam illum.* Et illud 2. Theisal. c. 2. *Ideo mittet (Deus) illis operationem erroris, ut credant mendacio.*

Instabis. Atqui Deus potest decipere directè. Nego. *Probabis.* Nam 1. Deus potest quidquid non implicat. Atqui deceptio non implicat. 2. Multi homines, putà increduli, vel nimium creduli, merentur decipi. 3. Deus nulla lege tenetur ad non decipiendum; cum non habeat superiorem, à quo legem accipiat. 4. Lib. 3. Regum cap. 22. Deus imperat spiritui mendacii, ut decipiat Regem Israel: *Decipies & praevaleris, egraderis, & fac ita.* At quod Deus potest facere per alium, potest & per se ipsum. 5. Judicum, cap. 20. Israelitæ consulentes Dominum,

num ut pugnarent contra Benjamitas, ab eo positivè decepti sunt.

Ad 1. R. dist. Deus potest quidquid non implicat absolute, & secundum se, N. nam Deus non potest peccare, quamvis peccatum absolute & secundum se non implicet. Deus potest quidquid non implicat relatè ad ipsum Deum, & ad ullum attributum divinum, C. At directè decipere homines, repugnat divinæ veracitati; sicut peccare, repugnat sanctitati divinæ.

Ad 2. R. ex eo sequi tantum quod Deus possit permittere ut multi homines decipiantur, non verò quod Deus possit illos directè decipere. Ex eo enim quod quis mereatur poenam, non sequitur quod possit illi poena infligi quovis modo, etiam inordinato.

Ad 3. R. Deum nulla quidem lege teneri ad non decipiendum; at ex suis intrinsicis essentialiter determinatum esse ad non faciendum, quod alicui attributo divino, puta veracitati, repugnat: & in hoc sensu sibi ipse lex est, ne decipiat; sicut sibi ipse lex est, ne peccet, quia ex se essentialiter determinatus est ad non faciendum id, quod sanctitati suæ repugnat.

Ad 4. R. verba citata exprimere, non imperium, sed permissionem. *Ad 5. R.* Israelitas, non à Deo, sed à se ipsis fuisse deceptos. Nam à Deo petierunt tantum debere ascendere Gabaa, & pugnare contra Benjamitas, nulla de victoria ob præsumptionem interrogatione facta. Unde Deus respondit tantum, ut ascenderent, & pugnam inirent, & de pugna successu, de quo non fuerat interrogatus, planè tacuit. Hinc si ex oraculi divini responsione deceptionis occasionem sumpserunt, & à Benjamitis semel iterumque cæsi sunt, sibi imputare debuerunt.

ARTICULUS II.

Utrum mysteria nostræ fidei sint saltem evidenter credibilia.

RESPONSIO.

Mysteria nostræ fidei habent saltem evidentiam credibilitatis maximam, hoc est, tantam, quantum esse potest infra evidentiam simplicem.

Prob. Nam illud habet evidentiam credibilitatis, quod evidenter apparet non posse sine imprudentia & temeritate negari, aut in dubium revocari. Atqui mysteria nostræ fidei non possunt nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium revocari; & non posse evidens est evidentia maxima per argumenta credibilitatis, quibus probatur veritas doctrinæ Christianæ. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam per hæc argumenta saltem evidenter apparet evidentia maxima non posse nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium revocari, quod Deus sit author doctrinæ christianæ, & mysteria nostræ fidei revelaverit. Ergo, &c.

Prob. ant. 1. Evidens est saltem, evidentia credibilitatis maxima, doctrinam illam non esse ab impostore, sed habere Deum autorem, quæ nullius falsitatis vel mendacii unquam convinci potuit, quæ nihil continet quod rationi adversetur, imò quod rationi non consonet; quæ mirum in modum commendat sapientiam, bonitatem, omnipotentiam, aliaque attributa divina; quæ ex omni parte sancta est & immaculata; cum nihil turpe & inhonestum sit, quod non damnet, nihil bonum & honestum, quod non præcipiat vel consulat, nullum vitium quod non dehortetur, nulla virtutum officia, quæ non præscribat vel suadeat; cum præterea nullus sit diligendi Deum modus excellentior eo quem docet & præscribit; nullus finis sanctior & præstantior eo quem proponit, & ad quem dirigit; nulla media ad hunc finem assequendum aptiora iis quæ suggerit; quæ denique divinam prorsus vim habet in hominibus ad integritatem & sanctitatem morum revocandis; ita ut universum penè orbem ab idolorum & dæmonum cultu ad unius veri Dei cultum converterit. Quæ hominibus adu-

ris,

ris, fornicatoribus, homicidis, rapacibus, avaris, in parentes vel dominos rebellibus, injustis, immitibus, pudicitiam, fraternam charitatem, rerum terrenarum despicientiam, mansuetudinem, obedientiam, equitatem, humilitatem perfuasi; innumeros nuptiis virginitatem, opibus voluntariam paupertatem, honoribus & dignitatibus obscurioris vitæ humilitatem, deliciis absolutam voluptatum omnium abstinentiam antepone, atque sola ferum cœlestium meditatione, ac virtutum professione delectari hæcenus docuit. Atqui talis est doctrina Christiana. Ergo, &c.

Prob. ant. 2. Evidens est evidentia credibilitatis maxima, doctrinam illam esse divinam, quam evidens est evidentia credibilitatis maxima in mundum introductam & propagatam esse virtute divina, ut patet ex terminis. Atqui evidens est evidentia, &c. doctrinam christianam virtute divina in mundum introductam & propagatam: doctrinam enim creditu difficilissimam, naturæ corruptæ inimicissimam, vitia omnia omnesque affectus vel leviter inordinatos dampnantem, ad voluptatum, divitiarum, & honorum fugam, imò ad sui odium homines adhortantem, ab aliquot piscatoribus, omni nobilitatis, opum, favoris, eloquentiæ, auctoritatis præsidio destitutis prædicatam, toto interea conatu repugnantibus urbium Magistratibus, Præfectis provinciarum, & ipsius Regibus ac Imperatoribus, atque sectatores hujus doctrinæ exilio, bonorum proscriptione, tormentis, & morte crudelissima mulctantibus; evidens est saltem evidentia credibilitatis maxima non potuisse nisi virtute divina ita propagari, ut ab universo penè orbe approbata & recepta sit repudiato paganismo, quamvis possessionis pluribus sæculis continuata privilegio gauderet, naturæ corruptæ omnia indulgeret, atque inordinatis ejus affectibus in omnibus obsequeretur. Atqui, &c.

Prob. ant. 3. Evidenter credibile est etiam evidentia maxima, doctrinam illam habere Deum authorem, quæ innumerales penè martyres habuit inter quos numerantur non solum viri fortes, sed etiam decrepiti senes, imbecilles feminae pueruli, virgunculae, qui exilium, bonorum jacturam, exquisitissima tormenta, & mortem ipsam pati maluerunt, quam doctrinam hanc, licet creditu difficilissimam, & naturæ corruptæ adversantem in omnibus, vocentis ejurare, & contrariam, quamvis inordinatis naturæ affectibus omnia indulgentem, etiam specie tenus profiteri: nam evidens est evidentia credibilitatis maxima, id sine magna Dei virtute fieri non potuisse. Atqui certò cœcius est doctrinam christianam innumerales penè martyres habere; inter quos numerantur, &c. His adde quod in martyribus illis admirabilis morum integritas, in respondendo sapientia, alacritas & constantia in patiendo, in omnes & maximè carnifices charitas eluxerit, atque in ipsa illorum morte & post illam infinita prodigia contigerint, quorum omnium ita evidens & constans est relatio, ut nemo sanæ mentis eam possit repudiare. Ergo, &c.

Prob. ant. 4. Doctrina illa non est ab impostore, sed habet Deum authorem, in cujus confirmationem facta sunt vera miracula: nam verum miraculum non potest esse nisi à Deo: verum enim miraculum dicitur opus, quod superat vires naturales omnium creaturarum. Unde quod confirmatur vero miraculo, confirmatur testimonio Dei, qui falsum testari non potest. Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima, facta esse vera miracula in confirmationem doctrinæ christianæ. Ergo, &c.

Prob. min. Nam miracula, quæ Christo doctrinæ christianæ auctori attribuantur, habent evidentiam credibilitatis maximam, & quod facta & quod vera fuerint: ab oculatis enim testibus, in quibus omnia, vitæ sanctitas veritatis studium, gloriæ divinæ zelus, rerum omnium humanarum despicientia, humilitas, castimonia, &c. eximia fuere, ab oculatis, inquam, illis testibus scripta sunt stylo simplici, & ab omni falsitatis vel adulationis suspicione remotissi-

mo, & palam prædicata & evulgata in oculis & auribus infensissimorum & sceleratissimorum Judæorum, qui ea aut facta aut vera vixisse miracula nunquam ausi sunt negare; atque hæcenus ab innumeris hominibus, qui christianismum amplexi sunt, & inter quos longè plurimi ingenio, doctrina, sapientia, sanctitate vitæ excelluerunt: indubitata fide credita. Ergo, &c.

Similiter miracula ab Apostolis in confirmationem doctrinæ christianæ facta, habent evidentiam credibilitatis maximam, & quod facta & quod vera fuerint; cum in illis absque ulla hæsitacione asserendis & credendis hæcenus per tot sæcula universus orbis christianus conspiraverit.

Prob. ant. 5. Evidens est evidentia saltem credibilitatis maxima, Christum doctrinæ christianæ authorem, verum affirmasse, & non imposuisse, cum dixit se doctrinam suam à Deo accepisse: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Ergo evidens est evidentia saltem credibilitatis maxima, doctrinam christianam esse verè divinam.

Prob. ant. Nam evidens est evidentia maxima, quod non nisi imprudentissimè negari, vel dubitari possit, vera esse ea omnia, quæ de Christo narrantur in Evangeliiis, tum propter admirabilem vitæ integritatem illorum qui ea scripserunt, tum propter stylum quo scripta sunt, ab omni falsitatis, mendacii, adulationis, & cujuscumque inordinati affectus specie alienissimum, tum propter eorum divinam planè in convertendis ad Deum animis, & moribus ad sanctitatem informandis energiam, tum propter summam reverentiam illi hæcenus habitam, tum denique propter tantam tot virorum doctrina ingenio, sanctitate & sapientia spectabilium, imò & totius ferè orbis conspirationem in eis tanquam divinis Scripturis accipiendis, & indubitata fide tenendis, quamvis doctrinam humani ingenii superbiæ, & naturæ corruptæ proclivitati molestissimam contineant. Ergo evidens est evidentia maxima, quod non nisi imprudentissimè negari vel dubitari possit Christi conceptionem ab Angelo prænunciatam; eum à Virgine admirabili Spiritus sancti opera conceptum; natiuitatem ejus à magna Angelorum è cælo delapsorum multitudine celebratam; eum Angeli admonitu à nece, quam ei intentabat Herodes, præservatum; eum innumera miracula vel solo voluntatis nutu patrassè; in eo divinam sapientiam eluxissè; eum absolutissimum virtutum omnium exemplar fuisse; in ejus morte plurima & stupenda prodigia contigisse, solem miraculosè obscuratum, laxa rupta, mortuos ad vitam revocatos; eum post triduum resurrexisse, & post dies quadraginta in cœlos ascendisse. Quæ omnia evidens est evidentia credibilitatis maxima, in impostorem cadere non potuisse. Ergo, &c.

Prob. ant. 6. Evidens est evidentia credibilitatis maxima, Christum esse Deum. Ergo evidens est evidentia credibilitatis maxima, doctrinam christianam à Deo revelatam & traditam esse. *Prob. ant.* Nam Christus dixit esse Deum, ut patet ex cap. 10. Joan. ubi Christo interroganti Judæos, quare vellent eum lapidare, respondit: *De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia; & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum.* Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima, Christum non esse mentitum, cum se Deum dixit: nam evidens est saltem evidentia credibilitatis maxima, Christum non fuisse impostorem, ut patet ex dictis superiori argumento.

Præterea, Christus non solum se Deum dixit, sed etiam innumeris miraculis confirmavit, & confirmasse evidens est evidentia credibilitatis maxima; imò tam est evidens, quam evidens est ipsum Christum tali ætate vixisse. Ergo vel Christus verum dixit se Deum dicendo; vel Deum imposturam & blasphemiam omnium execrandissimam suo testimonio non semel aut iterum, non centies, sed milies confirmasse dicendum est: quod secundum fieri non potuisse, simpliciter evidens est omni habenti veram Dei ideam, Ergo, &c.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum evidens sit non solum evidētia credibilitatis maxima, sed etiam evidētia simplici, mysteria religionis christianae esse vera, & a Deo revelata.

Nota. Triplex distingui potest evidētia propositionis, nempe evidētia verisimilitudinis, evidētia credibilitatis, & evidētia simplex. Quae triplex evidētia latitudinem habet, & modò major est, modò minor. Evidētia verisimilitudinis, seu, ut alii loquuntur, evidētia probabilitatis, est ea qua convincitur intellectus de verisimilitudine propositionis, & vi cujus consequenter intellectus evidenter & necessariò judicat propositionem dignam esse aliquo assensu, quamvis formidoloso. Evidētia credibilitatis est ea, qua convincitur intellectus de credibilitate propositionis, & vi cujus consequenter intellectus evidenter & necessariò judicat propositionem esse se dignam assensu firmo, nec posse nisi imprudenter & temerè negari, aut in dubium revocari. Evidētia simplex est ea, qua intellectus convincitur de veritate propositionis, qua proinde praesente, evidenter & necessariò judicat propositionem esse veram; ita ut, quandiu praesens est haec evidētia, sic rapiat & possideat intellectum, ut ab eo excludat omnem dubitationem etiam involuntariam circa veritatem propositionis. Quem effectum nec habet, nec habere potest evidētia credibilitatis, & multò minùs evidētia verisimilitudinis, quae omnium minima est.

Simplex evidētia duplex est, una scilicet evidētia propositionis in se ipsa, quando evidenter apparet convenientia praedicati cum subiecto; altera vero evidētia propositionis in alio, quando intellectus per aliud convincitur de veritate propositionis, sed non apparet evidenter quomodo praedicatum subiecto conveniat. Exempli gratia, haec propositio, Totum est majus sua parte, est simpliciter evidens in se ipsa, quia intellectus non solum evidenter cognoscit totum esse majus sua parte, sed etiam quomodo sit majus sua parte. At haec propositio, Magnes attrahit ferrum, est simpliciter evidens in alio tantum: nam per experientiam convincitur quidem intellectus magnetem attrahere ferrum, sed non cognoscit evidenter quomodo attrahat.

Similiter haec propositio, Deus est trinus, est simpliciter evidens in se respectu beatorum: cum enim intuitivè Deum videant, non solum evidenter cognoscunt Deum esse trinum, sed etiam quomodo haec, Deus unus & trinus, inter se conciliantur. At respectu viatorum, non est simpliciter evidens, nisi in alio, nempe in revelatione divina, supposito tamen quòd simpliciter evidens sit Deum revelasse mysterium Trinitatis, quia in hac suppositione intellectus viatoris convincitur quidem per revelationem Deum esse trinum, sed non videt clarè quomodo haec inter se conciliantur, Deus existens unus & trinus. Unde haec propositio, Deus existit unus & trinus, non est evidens in se viatori propter revelationem simpliciter evidentem, sed solum evidenter vera: quod valde diversum est.

Evidētia simplex potest adhuc subdividi in metaphysicam, physicam, & magnam moralem. Metaphysica est ea, quam absolute repugnat esse fallacem. Physica est ea, quam fallacem esse non repugnat, nisi de lege Dei ordinaria. Moralis magna est ea, quam moraliter impossibile est esse falsam; ita ut licet non repugnet absolute, tamen nunquam contingit eam fallere: quare cum physica confundi potest.

Nota iterum. In hac quaestione agitur, non de simplici evidētia rei in se, sed de simplici evidētia rei in alio. Nam planè certum est, quòd argumenta credibilitatis, quibus probantur mysteria religionis christianae, non faciant trinitatem v.g. vel incarnationem videri in se, vel evidenter cognosci quomodo sint, aut, si vis, non faciant evidenter cognosci convenientiam praedicati cum subiecto in his propositionibus,

bus, Deus est unus & trinus, Verbum est incarnatum. Superest ergo ut quaramus utrum faciant evidenter cognosci vera esse mysteria nostrae religionis, seu, quòd idem est faciant evidenter cognosci veras esse has propositiones, Deus est trinus, Verbum est incarnatum, &c. evidenter ostendendo verum esse, quòd Deus illas revelaverit. Quòd perinde est, ac si quaeratur utrum veritates revelatae, & revelationes divinae sint evidentes simpliciter in alio, nempe in motivis credibilitatis. Huic autem quaestioni ut satis fiat, sit

RESPONSIO.

Evidens est etiam evidētia simplici mysteria religionis christianae esse vera, & a Deo revelata.

Prob. 1. Simpliciter evidens est Christum esse Deum. Ergo simpliciter evidens est doctrinam christianam esse divinam; proindeque simpliciter evidens est doctrinam christianam esse veram, & a Deo traditam. Consequentia patet: cum enim Christus sit author doctrinae christianae, non potest esse simpliciter evidens Christum esse Deum, quin etiam simpliciter evidens sit Deum esse doctrinae christianae authorem, & consequenter doctrinam christianam esse divinam, veram, & a Deo traditam. Tota ergo difficultas est in antecedente, quòd multis modis deinceps demonstrabitur.

1. itaque *prob. ant.* ex Scriptura. Nam Scriptura iisdem terminis, aut saltem aequivalentibus dicit divinitatem Christi innoscere per signa ab eo edita, quibus dicit innoscere existentiam divinam per creaturas: nam loquens de notitia existentiae divinae per creaturas compatibili, sic ait Sap. cap. 13. *A magnitudine speciei & creaturae, cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et Rom. cap. 1. *Quòd notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.*

Similiter cum loquitur de notitia divinitatis Christi comparata, vel comparabili per signa ab eo edita, sic habet Coloss. cap. 1. *Mysterium (Verbi incarnati) quòd absconditum fuit a saeculis & generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus.* Et Joan. cap. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre.* Et ejusdem cap. 2. *Manifestavit gloriam suam.* Et ejusdem epist. 1. c. 1. *Quòd fuit ab initio, quòd audivimus, quòd vidimus oculis nostris, quòd perspeximus, & manus nostrae contrectaverunt de verbo vita, & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Et Psal. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum... Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.* Ergo Scriptura eandem attribuit evidētiā divinitati Christi propter signa ab eo edita, quam attribuit existentiae divinae propter creaturas. Atqui attribuit evidētiā simplicem existentiae divinae propter creaturas, ut volunt ipsimet adversarii nostri, & ita constat ex Patrum & Theologorum consensu, ut contrarium sit erroneum, vel saltem temerarium, & in fide minimè tutum. Ergo pariter attribuit evidētiā simplicem divinitati Christi propter signa ab eo edita.

Prob. 2. ant. autoritate SS. Patrum, pro quibus omnibus sit Augustinus epist. 3. ita de Verbo incarnato loquens: *Num homine assumpto alium mundum facere debuit, ut cum esse crederemus, per quem factus est mundus? Sed nec major mundus, nec isti aequalis in hoc mundo fieri posset. Si autem minorem faceret infra istum, similiter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non oportebat, ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de virgine procreatus, & a mortuis in aeternam vitam resuscitatus, & super caelos exaltatus, potentius fortasse opus est, quàm mundus. Ergo ex S. Augustino, Christus eximia quaedam miracula patrando, tam, imò fortasse magis ostendit se Deum esse, quàm si alterum mundum in hoc mundo creasset. Atqui creando alterum mundum in hoc mundo,*

do, ostendisset evidenter evidentiā simplici se Deum esse: nam simpliciter evidens est actionem creativam pertinere ad solum Deum: simpliciter enim manifestum est, quod operari sequatur esse, & consequenter quod ens independens in operando (ita ut nec ullius causæ concursu egeat, nec ex parte operis prærequiratur, nisi meram possibilitatem, sed meram non repugnantiam ad existendum) sit ens independens in essendo, ac proinde ens à se existens, quod est Deus. Ergo à fortiori Christus evidenter ostendit evidentiā simplici se Deum esse, cum eximia quædam miracula patravit.

At inquit. Christus per alterum mundum à se, creatum ostenderet nobis evidenter evidentiā simplici se Deum esse, qui videremus illum alterum mundum, & ita haberemus evidentiā simplicem existentiæ illius. At non habemus evidentiā simplicem eximiorum illorum miraculorum, quæ patravit Christus; non enim illa videmus, aut vidimus. Ergo Christus per illa miracula nec ostendit, nec ostendere potest nobis evidenter evidentiā simplici se Deum esse.

R. neg. min. Nam non vidimus quidem, nec videmus eximia illa miracula à Christo patrata, sed habemus relationem illorum testatissimam, in ordine ad pariendam evidentiā intellectualem, & convincendum intellectum, æquivalentem visioni, imò & fortasse præponderantem. Et verò prius contingeret subesse falsum visioni qua objecta circumstantia percipio, quam relationi illi, qua mihi constat eximia illa à Christo patrata esse miracula, ut facile agnosceret quivis prudens perspicax rerum æstimator, & potius diffiderem de visione mea, quam de relatione illa.

Prob. 3. ant. primi syllog. ex S. Thoma, qui hic quæst. 5. art. 2. in O. sic ait: Si aliquis propheta prænunderet in sermone domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando, ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut agnosceret manifeste hoc dici à Deo, qui non mentitur. Ex quibus verbis sic argumentor. Si quis videret à propheta suscitari mortuum in confirmationem alicujus rei prænunderat nomine Dei, haberet evidentiā simplicem revelationis divinæ & rei prænunderat in illa suscitatione mortui, & convinceretur de veritate revelationis divinæ & rei prænunderat per illam mortui suscitationem. Ergo à fortiori, qui videret Christum non unum sed plures mortuos suscitantem, aliæque innumera miracula patrantem ut probaret se Deum esse, haberet evidentiā simplicem revelationis divinæ & divinitatis Christi in illis miraculis, & convinceretur de veritate revelationis divinæ, & divinitatis Christi per illa miracula. Atqui habemus aliquid æquivalens tali visioni in ordine ad gignendam evidentiā intellectualem, & intellectum convincendum, nempe testatissimam relationem mortuorum olim suscitatorum à Christo, aliorumque innumeriorum miraculorum ab eo factorum in confirmationem suæ divinitatis. Ergo possumus habere evidentiā simplicem divinitatis Christi in illis miraculis, & convinci de veritate divinitatis Christi per illa miracula, ab eo olim facta.

Præterea, paucis interjectis sic eodem loco de demonibus profertur S. Doctor, *Vident multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt doctrinam Ecclesiæ à Deo esse quamvis ipsi res ipsas, quas Ecclesia docent non videant, puta Deum esse trinum & unum, vel aliquid hujusmodi.* Quibus verbis distingue duplicem evidentiā simplicem S. Doctor, nempe evidentiā rei in seipsa, & evidentiā rei in alio, & dicit demones habere per motiva credibilitatis articulorum nostræ fidei (quorum è præcipuis unus est divinitas Christi) evidentiā simplicem in alio, nempe in ipsis motivis; quamvis non habeant evidentiā simplicem illorum in se. Quam doctrinam confirmavit in responsione ad 1. 2. & 3. Ergo motiva credibilitatis ex se apta sunt ad ostendendam evidenter veritatem articulorum nostræ fidei, & consequenter divinitatis Christi. Ergo possumus habere evidentiā simplicem divinitatis Christi, sicut & aliorum articulorum nostræ

fidei, in motivis credibilitatis, & Christum esse Deum simpliciter evidens est etiam respectu nostri.

At inquit. Demones habent perspicaciam intellectualem humanam longè majorem. *R.* hunc excessum perspicaciæ intellectualis in demonibus posse in nobis compensari per auxilium interioris gratiæ illustrantis, sine qua fateor non posse nos attingere vim motivorum credibilitatis, eorumque veritatem sicut oportet, ut in illis evidenter cognoscamus veritatem revelationum divinorum, & articulorum nostræ fidei, atque de realitate illorum plenam convictionem habeamus.

At inquit. Demones semper viventes, semper vigiles ubicumque volunt ferè momento præsentem, omnia aut penè omnia motiva credibilitatis per se & propria experientia norunt, non verò per aliorum relationem, ut homines, qui brevi tempore, & in exigua mundi parte ferè omnes sigillatim sumpti versantur. *R.* hanc relationem de se sufficientissimam esse, ad convincendum intellectum de realitate motivorum illorum, & pariendam veritatis motivorum illorum evidentiā simplicem: cum non magis ei subesse falsum possit quam relationi, qua urbem Romanam nobis, qui illam non vidimus, tam constat existere, quam illis, qui eam videntur.

Prob. 4. ant. primi syllog. Miracula Christi, cum ab eo fiebant, vim habebant ostendendi evidenter veritatem divinitatis illius in iis, à quibus videbantur. Atqui nunc eandem vim habent. Ergo nunc veritas divinitatis Christi cognosci potest evidenter in miraculis ab illo olim factis, & consequenter etiam nunc simpliciter evidens est Christum esse Deum.

Prob. 1. maj. Nam veritas divinitatis Christi evidenter cognita fuit in miraculis ab eo factis, non solum à demonibus, ut testatur Scriptura pluribus locis, sed etiam ab Apostolis, ut probant verba Joannis supra relata. Præterea, miraculum evidenter conexum est cum veritate rei cuius est testimonium: cum enim miraculum sit opus divinum, simpliciter evidens est illud non posse fieri in confirmationem falsi, quia simpliciter evidens est Deum non posse falsum attestari.

Prob. 2. min. Nam si miracula à Christo olim facta, non habent eandem vim ostendendi evidenter veritatem divinitatis ejus, quam olim habuerunt, certe quia non est simpliciter evidens illa à Christo facta fuisse. Atqui hoc dici non potest: tam enim evidens est illa à Christo facta fuisse, quam evidens est Christum ipsum tali ætate vixisse: nam iisdem planè testimoniis constat Christum tali ætate vixisse, & talia miracula fecisse. Atqui simpliciter evidens est Christum tali ætate vixisse. Ergo etiam simpliciter evidens est eum talia miracula fecisse.

At inquit. Non est tam evidens Christum tali ætate vixisse, quam evidens est v.g. extitisse Imperium Romanum: nam quod Imperium Romanum extiterit, constat ex testimonio innumerabilium testium oculatorum: quod de Christo dici non potest. Ergo gratis dicitur, quod simpliciter evidens sit Christum tali ætate vixisse. *R. 1. neg. conf.* Nam evidentiā simplex, præsertim physica & moralis, non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem, & potest esse modò major, modò minor. Unde intellectus potest modò magis, modò minus convinci de veritate alicujus objecti; quamvis de illa simpliciter convinatur; & modò cum majori, modò cum minori necessitate rapi ad assensum, ad quem tamen simpliciter necessitatur.

R. 2. neg. ant. Ad prob. R. circumstantiam illam plurium testium oculatorum, quæ stat pro Imperio Romano olim existente, abundè compensari, & fortasse superari per plures alias circumstantias, quibus munitur relatio quæ nobis constat Christum tali ætate vixisse. Et verò quis neget innumerabilium testium oculatorum testimonio saltem æquivalere in ordine ad evidentiā intellectualem, & plenam intellectus convictionem pariendam, testimonium plurimorum testium oculatorum, nempe Apostolorum &

disci-

discipulorum Christi, in quibus eximia fuere omnia, vite sanctitas, veritatis studium, gloriæ divinæ zelus, rerum omnium humanarum despicientia, modestia, humilitas, castimonia, & cetera omnes virtutes, cum virtute parandi miracula, mortuos suscitandi, morbos quoslibet sanandi, &c.

Christum & ejus miracula toto Imperio Romano, imò toto ferè terrarum orbe prædicarunt, non honores ambientes, non lucrum quærentes, non voluptatibus indulgentes, non principum favorem aucupantes, non hominibus blandientes, sed vitia omnia carpentes, simulatores severè punientes; non quæ sua erant, sed quæ omnium in omnibus quærentes, gravissimis quibulque periculis ac moribus sese fortiter objicientes, extrema quæque, famem, nuditatem, calumnias, contumelias, verbera, tormenta invicta patientia & mansuetudine tolerantes, sublimiter de divinis sentientes & loquentes.

Prædicarunt in oculis & auribus insensissimorum Judæorum, quos gravissimi criminis insimulabant, & à quibus, si mentiri essent, facile de impostura convinci poruissent, & procul dubio convicti fuissent; & tamen prædicarunt, illis furentibus & toto orbe infectantibus, sed erubescens & tacentibus, & sua taciturnitate veritatem prædicatam confidentibus, imò magna illorum multitudine ad Christum accedente, in qua & Pharisei & turba Sacerdotum fuit.

Prædicarunt, & prædicationis veritatem proprio sanguine obsignarunt. Prædicarunt, & innumeris penè gentilibus persuaserunt, non præsentia & temporalia, sed spiritualia, & in altero tantum seculo futura præmia pollicentes; non dignitates, divitias, voluptates, sed persecutiones, injurias, bonorum jacturam, tormenta, crucis, & mortem prælagantes; non indulgentes carnalibus desideriis, sed naturæ corruptæ durissima quæque imperantes, magistratibus urbium, & provinciarum præfectis malè mulcantis, sapientibus ethnicis totis ingenii, eloquentiæ & doctrinæ nervis reluctantis, reclamantibus damnum oraculis, & contra pugnantibus antiquissimis idololatriæ præjudiciis. Quæ omnia manifesta sunt partim ex sacris libris, quorum stylus simplex, & ab omni adulationis & falsitatis suspitione alienissimus, ubique spirat scriptorum candorem, sinceritatem, & eximium veritatis studium, partim ex testimonio totius orbis Christiani, & traditione constanti, per sæcula septemdecim continuata.

Itaque habemus pro Christo & miraculis ab eo factis, 1. Testimonium Apostolorum & discipulorum ejus, qui ipsum & miracula ab eo facta viderunt, & in quibus omnia ad fidem & convictionem faciendam summa fuere. 2. Testimonium innumerabilium penè hominum, partim Judæorum, partim Gentilium, per Apostolorum prædicationem ad fidem Christi conversorum, qui admirabiles prius viros illos, & miracula in prædicationis evangelicæ confirmationem ab eis facta viderunt: nam primi illi fideles, præsertim in tanto numero, nunquam ad Christum conversi fuissent sine multis & magnis miraculis. Unde illud Apostoli 1. Cor. cap. 2. *Et sermo meus & prædication mea non (fuit) in persuasibilibus humana sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* 3. Testimonium totius orbis Christiani, ab instituta Ecclesia, huc usque constantissime continuatum per tot sæcula, in quorum decursu extricare homines penè innumeri, eximia sapientiæ, sanctitatis & doctrinæ laude insignes. At relationi tot ac tantis testimoniis cum talibus circumstantiis munita, falsum subesse moraliter, imò absolute impossibile est. Ex his

Sic argumentor. Relatio, qua constat Imperium Romanum olim existisse, facit evidentiam simplicem, quia moraliter & humanitus impossibile est falsum ei subesse. Atqui pariter, imò magis impossibile est subesse falsum relationi, ex qua nobis constat Christum tali ætate vixisse, & talia miracula in confirmationem suæ divinitatis fecisse. Ergo etiam hæc relatio facere potest evidentiam simplicem, & quidem tantam, quantam, imò majorem, quàm relatio Imperii Ro-

mani olim existentis facere potest. Non diffitemur tamen evidentiam illam, quam facere potest relatio miraculorum Christi, esse minus proportionatam viribus naturalibus intellectus nostri. Unde difficilius & à paucioribus attingitur; imò nec attingi potest sine gratia interius illustrante, quantum oportet ad plenam convictionem.

At inquit. Esto quoddam simpliciter evidens sit Christum fecisse in confirmationem suæ divinitatis miracula illa, quæ in sacra Scriptura narrantur. At saltem miracula illa non sunt signa evidenter infallibilia veritatis, in cujus confirmationem facta sunt. R. hoc esse falsum, ut facile demonstratur. Nam miracula à Christo facta in ea multitudine, varietate, extensione ad omnem creaturam, constantia effectum suorum durabili, in quibus re ipsa facta sunt, habent evidentem connexionem cum causa dominante huic uni-
verio, & cujus actio nec impediri, nec retardari potest ab ullo alio agente five corporeo five spirituali, ullave subjecti indispositione. At evidenter talis causa non potest esse nisi Deus. Ergo miracula à Christo facta habent evidentem connexionem cum Deo ut causa. Ergo sunt evidenter opera divina, & consequenter signa evidenter infallibilia veritatis in cujus confirmationem facta fuerunt.

Prob. 2. assertio nostra. Simpliciter evidens est religionem christianam esse veram religionem. Ergo, &c. *Prob. ant.* Planè indubitatum est ex traditione totius orbis christiani, hæcenus per sæcula septemdecim constantissime continuata, religionem christianam, cujus mysteria tantopere superant humanam intelligentiam, cujus doctrina ex omni parte naturæ corruptæ ingratissima & molestissima est, institutam esse à duodecim piscatoribus, omni humano præsidio destitutis, omni modo renitente toto terrarum orbe, toto genere humano in flagitia omnia effuso; & ita firmiter institutam, ut omnibus aliis religionibus prævaluerit, toto orbe propagata sit medias inter strages & lanienas christianorum, nec populos solum, sed etiam magistratus urbium provinciarum gubernatores, duces exercituum, reges, & ipsos Romanæ reipublicæ imperatores subjugavit, philosophos humanæ sapientiæ crucis humilitatem & stultitiam antepone docuerit, atque hæcenus, gravissimis licet persecutionum plurimarum tempestatibus, & innumerarum penè hæresum procellis agitata, stet integra, & primæva doctrinæ, legum & cultus puritate nitens, nova in dies adhuc incrementa accipiat, & toto terrarum orbe amplificetur.

Atqui talem religionem in talibus circumstantiis sic institui non potuisse sine speciali Dei assistentia evidens est. Ergo evidens est Deum specialiter adstitisse Apostolis, in institutione religionis christianæ, & consequenter Deum specialiter destinasse Apostolos ad instituendam religionem christianam: non enim specialiter ad id adjuvit Apostolos, nisi quia eos ad id specialiter destinavit. Ergo evidens est Deum specialiter intendisse institutionem religionis christianæ: nam si non specialiter intendisset, non specialiter ad id Apostolos destinasset. Ergo evidens est religionem christianam esse veram religionem: nam evidenter repugnat Deum specialiter intendere institutionem falsæ religionis.

Confirm. Evidens est repugnare Deo, ut specialem providentiam exerceat circa falsam religionem: nam si Deus specialiter provideret falsæ religioni, autoritate sua positivè & directè induceret homines in errorem, in materia omnium gravissima: quod evidenter Deo repugnat. Sed evidens est Deum specialem exercere providentiam circa religionem christianam, ut ostendunt ejus institutio, propagatio, & conservatio. Ergo evidens est religionem christianam non esse falsam religionem.

Præterea, si religio christiana esset falsa religio, damnetur & proscriberetur veram religionem: unus enim è præcipuis ejus doctrinæ articulis est, quoddam omnia alia præter ipsam religionem sit religio falsa. Ergo Deus specialiter ei providendo, autoritate sua specialiter de-

ter-

terreret homines à vera religione, & à vero cultu ipsi exhibendo quòd evidenter Deum dedecet, & ejus bonitati repugnat, atque adversatur intentioni ejus creandi & conservandi mundum propter gloriam suam extrinsecam à creaturis rationalibus procurandam per veri cultus exhibitionem. Ergo evidens est religionem christianam non esse falsam religionem, Ergo, &c.

Obj. 1. Si evidens est simpliciter doctrinam christianam esse veram & à Deo revelatam, non potest credi fide divina, Absurdum conf. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam 1. plurimi sunt, quibus motiva credibilitatis non proponuntur sufficienter ad hoc, ut possint attingere simplicem illam evidentiam, quam habet doctrina christiana: ex iis verò, quibus motiva credibilitatis proponuntur sufficienter ad hoc, ut evidentia illa attingi possit cum auxilio gratiae ad id necessariò, & debita consideratione, plurimi tamen illam non attingunt, vel defectu sufficientis illustrationis, neque enim omnes aequaliter illustrantur, vel defectu sufficientis considerationis, aut obingenii tarditatem. De illis autem omnibus nulla est difficultas; cum habeant tantum evidentiam credibilitatis circa doctrinam christianam, & ejus revelationem.

2. Aliis, à quibus vis motivorum credibilitatis percepta est sufficienter ad habendam evidentiam illam simplicem, vel evidentia illa simplex non est ita praesens habitualiter, ut faciliè & semper occurrat, quoties cogitant de revelationibus divinis, & tunc certè possunt credere fide divina, quando non occurrat; vel est ita habitualiter praesens, ut faciliè & toties occurrat quoties de revelationibus divinis cogitant, & tunc quoties cogitant de revelationibus divinis, habent quidem actum, quo evidenter & necessariò judicant verum esse quòd Deus mysteria nostra revelaverit, sed tamen possunt adhuc illa credere fide divina, quia adhuc possunt ex libero & pio affectu se submitendi auctoritati Dei loquentis, velle credere, & credere revelationem primae veritatis immediatè & propter se, assensu proportionato excellentiae tanti motivi, non amplius attendendo ad evidentiam, sed solum ad infallibilitatem ac dignitatem motivi, quae summa est, & propter revelationem primae veritatis sic creditam immediatè & propter se, sub quo respectu non magis apparet esse, quam non esse, velle credere, & credere mysteria revelata assensu appetitivamente firmissimo, proindeque assensu longè firmitiori, quam sit alius actus, quo propter evidentiam motivorum, evidenter & necessariò judicant mysteria, quae credunt, esse à Deo revelata; quique actus non habet nisi certitudinem proportionatam evidentiae simplici motivorum; quae cum solum sit magna moralis, non potest fundare certitudinem appetitivamente summam.

Obj. 2. Si veritas doctrinae christianae, & revelationum divinarum, est simpliciter evidens, illustratio divina non est necessaria ad credendum; quod enim est simpliciter evidens, non eget illustratione. Conseq. est haereticum. Ergo, &c. *R. neg. seq. maj.* Nam illustratio divina necessaria est, 1. ad condignè aestimanda motiva credibilitatis, & condignè aestimando, attingendam simplicem evidentiam veritatis doctrinae christianae, ac revelationum divinarum, quam motiva credibilitatis condignè aestimata parere possunt. Et verò necessaria est illustratio divina ad attingendam evidentiam credibilitatis, quam habent revelationes divinae à motivis credibilitatis. Igitur à fortiori necessaria est ad attingendam evidentiam simplicem quam revelationes illae ab illis motivis habere possunt; cum hac difficilius attingatur, quam illa. 2. Illustratio divina necessaria est ad iudicium practice practicum, quo intellectus evidenter judicat credendam esse super omnia veritatem revelatam praecise propter revelationem primae veritatis creditam super omnia immediatè & propter se.

Ad prob. R. veritatem doctrinae christianae & revelationum divinarum, quae est objectivè evidens per motiva credibilitatis sine illustratione, non esse sine

illustratione evidentem formaliter, seu non cognosci evidenter sine illustratione, quia evidentia simplex objectiva, quam veritas doctrinae christianae & revelationum divinarum habet à motivis credibilitatis, non est satis proportionata intelligentiae humanae, ut ab illa attingi possit sine supernaturali illustratione; & sine illustratione supernaturali non potest intellectus penetrare motiva credibilitatis, sicut oportet, ut per illa, sive in illis videat veritatem doctrinae christianae & revelationum divinarum.

ARTICULUS IV.

Utrum obiectum materiale nostrae fidei successu temporis creverit.

Nota. Obiectum materiale fidei nostrae constat, ut jam observatum est, ex veritatibus omnibus à Deo revelatis, quarum aliae per accidens tantum, & ex secundaria Dei intentione, aliae verò per se, & ex primaria Dei intentione revelatae sunt, & veluti corpus ac substantiam nostrae fidei constituunt, ideòque nominantur Articuli fidei. De his autem quaestio proposita potissimum intelligenda est. Quæritur ergo utrum articuli nostrae fidei successu temporis creverint. Qui temporis successus potest intelligi dupliciter, scilicet ab Adamo usque ad Christum, & à tempore Christi & Apostolorum, ex quo Ecclesia nostra fundata est, ad hæc usque tempora.

Nota iterum. Aliquid potest esse revelatum à Deo dupliciter, nempe mediatè & immediatè, seu, quòd idem est, virtualiter & formaliter. Revelatum à Deo mediatè & virtualiter, dicitur illud quod est à Deo revelatum in alio, sive per aliud, quocumque necessariam habet connexionem. Sic v. g. risibilitas Christi est revelata mediatè & virtualiter, quia revelata est in ejus humanitate, quacumque necessariam habet connexionem, ut proprietas cum essentia: nam Deus revelando formaliter & immediatè Christum esse hominem, hoc ipso mediatè & virtualiter revelavit Christum esse risibilem, propter necessariam connexionem risibilitatis cum humanitate: quam connexionem probè norat, cum revelavit Christum esse hominem; qui enim affirmat aliquid formaliter, hoc ipso censetur affirmare id omne sine quo esse non potest, & esse non posse apprimè notum est affirmanti.

Revelatum immediatè & formaliter duplex est; potest enim aliquid immediatè & formaliter revelari duobus modis, nimirum explicitè, & implicitè. Illud revelatur formaliter explicitè, quod disertis verbis revelatur. Sic cum Deus dixit: *Verbum caro factum est*; revelavit formaliter explicitè mysterium incarnationis. Illud revelatur formaliter implicitè, quòd quidem à revelante non exprimitur disertis verbis, sed tamen continetur formaliter in ipsa revelatione.

Tale est, 1. illud quod est idem quoad sensum cum revelato formaliter explicitè: sic Deus revelans formaliter explicitè Christum esse hominem, revelat formaliter implicitè ipsum esse animal rationale, quia definitum & definitio sunt idem quoad sensum; unde qui dicit Christum esse hominem, dicit etiam formaliter, quamvis confusè, ipsum esse animal rationale.

2. Tale est illud quod est pars revelati formaliter explicitè, adequatè sumpti secundum sensum revelantis: sic Deus revelans formaliter explicitè Christum esse hominem, revelat formaliter implicitè ipsum habere corpus & animam rationalem, quia corpus & anima sunt partes hominis adequatè sumpti; unde qui dicit Christum esse hominem, dicit etiam formaliter, quamvis confusè, ipsum habere corpus & animam rationalem: quod praefertim verum est de eo, cui apprimè notum est hominem constare ex corpore & anima rationali.

3. Talis est propositio particularis, contenta in propositione generali, quae revelata est formaliter expresse in sensu distributivo pro particularibus in ea con-

contentis. Sic Deus per verba illa, *Statutum est omnibus hominibus semel mori*, revelans formaliter explicitè omnes homines esse morituros, revelat formaliter implicitè hunc numero hominem, puta Petrum, quamvis nondum existentem, sed postea exiturum, moriturum esse: nam qui dicit formaliter explicitè, Omnis homo morietur, dicit etiam formaliter quamvis confusè: Hic homo morietur, & ille morietur, & iste morietur: in hac enim propositione, Omnis homo morietur, subiectum supponit pro omnibus individuis humanis aliquando existentibus, quod imprimis verum est respectu Dei, qui cum dixit, Omnis homo morietur, clarè & distinctè noverat singula individua humana aliquando exitura.

Nota 3. Objectum materiale fidei potest crescere dupliciter, nimirum simpliciter, & secundum quid. Crescit simpliciter, si aliquid de novo revelatur à Deo. Crescit secundum quid, cum revelatio olim facta à Deo, sed obscura, per infallibilem interpretem magis explicatur; item cum revelatio olim facta à Deo, sed controversa, per infallibilem controversiarum iudicem certificatur; item cum revelatio olim facta à Deo, per legitimam auctoritatem extenditur, & applicatur ad singularia, quæ sub ea continentur.

Itaque objectum materiale fidei potest crescere secundum quid variis modis, nempe per maiorem explicationem revelationis obscuræ, per certificationem revelationis controversæ, & per extensionem seu applicationem revelationis ad particularia, quæ sub ea continentur vel formaliter vel virtualiter. Patet quoad certificationem revelationum: possunt enim aliquæ revelationes olim factæ, in dubium revocari; & aliquæ identidem in dubium revocantur etiam à Doctoribus Catholicis. Quoad explicationem, verò, & applicationem revelationum, facile intelligitur ex dictis not. 2. & adhuc facilius intelligitur ex dicendis.

Nota 4. Ecclesia potestatem habet explicandi, certificandi, & applicandi revelationes divinas, tam scriptas quam non scriptas. Quod hanc potestatem habeat, probat 1. praxis & usus ipsius Ecclesiæ, quæ hæcenus hac potestate usæ est in suis decretis & definitionibus. 2. Necessitas huius potestatis: nam quandoque ex obscuritate Scripturæ nascuntur hæreses, quæ aliter extingui non possunt, nisi Scripturæ sensus explicetur. Item aliquando controversatur de vera intelligentia vel existentia traditionum divinarum; quam controversiam, traditiones illas explicando vel statuendo, dirimi expedit ad bonum & pacem Ecclesiæ.

Item sæpe ad fidei securitatem & conservationem, necesse est ut aliquæ revelationes vel traditiones extendantur & applicentur ad aliqua objecta particularia. Sic v. g. necesse est, ut fide divina constet Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium, ad hoc ut ejus definitiones auctoritatem divinam habeant, & obligent ad credendum assensu super omnia firmo. Ad hoc autem ut constet Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium, necessaria est extensio alicujus revelationis, sive scriptæ, sive non scriptæ, facta per auctoritatem Ecclesiæ: cum non sit de novo & expressè revelatum à Deo Concilium Tridentinum esse verum & Oecumenicum Concilium.

Nota 5. Ecclesia, ex eo tempore, quo à Christo & ab Apostolis fundata est, nihil unquam definivit ut fide divina tenendum, quod in revelationibus olim à Deo factis, & traditionibus divinis scriptis vel non scriptis, aliqua ratione non contineretur secundum verum illarum sensum, ut patet ex perpetuo usu & praxi ipsius Ecclesiæ; nam v. g. Concilia generalia nihil unquam ut fide divina tenendum definierunt, nisi vel extendendo & applicando propositiones generales, aut principia generalia olim à Deo revelata, ad objecta quedam particularia; quibus revera convenit ratio contenta in illis propositionibus aut principiiis generalibus, olim à Deo revelatis; vel certificando Scripturas & Traditiones divinas; vel denique explicando verum sensum Traditionum divinarum aut Scripturæ, post diligentem inquisitionem & inspe-

Simonne Theol. Tom. II.

ctionem testimoniorum Patrum, & aliorum Doctorum veterum, in quo examine Ecclesia non potest errare, propter infallibilem Spiritus sancti assistentiam.

RESPONSIO I.

Objectum materiale fidei nostræ, etiam, quoad articulos fidei, ab Adamo usque ad Christum inclusivè crevit simpliciter.

Prob. Nam Deus multa successivè revelavit Adamo, Noè, Abrahamo, Isaac, Jacob, Moysi, Davidi, & aliis Prophetis. Item in novo testamento multa successivè revelata sunt per Christum & Apostolos. Sed inter hæc successivè revelata, non pauca sunt per se & ex primaria Dei intentione revelata, & quæ pertinent ad corpus & substantiam fidei, qualia sunt v. gr. sacramenta, & sacrificia veteris & novæ legis. Ergo, &c.

RESPONSIO II.

Ex tempore Christi & Apostolorum, articuli fidei non creverunt simpliciter.

Prob. Nam si articuli fidei ex tempore Christi & Apostolorum creverunt simpliciter, certè creverunt per definitiones Ecclesiæ. At hoc dici non potest: nam, ut supra observatum est, Ecclesia nihil definit, nisi aut explicando revelationes olim factas, quarum sensus obscurus est, aut certificando traditiones divinas, easque ab humanis discernendo, aut extendendo revelationes olim factas, & traditiones divinas ad objecta particularia, in illis secundum propriam rationem vel formaliter vel saltem virtualiter contenta. Ergo non condit articulos fidei adæquate distinctos ab olim revelatis per Christum & Apostolos. Ergo non condit articulos fidei novos simpliciter. Ergo, &c.

Obj. 1. Spiritus sanctus infallibiliter assitit Ecclesiæ definienti, sicut olim assistebar prophetis & scriptoribus sacris. Ergo Spiritus sanctus loquitur, & de novo revelat per Ecclesiam definientem, sicut olim loquebatur & de novo revelabat per prophetas & scriptores sacros; proindeque per Ecclesiam definientem condit articulos fidei novos simpliciter, sicut olim per prophetas & scriptores sacros condebat.

R. neg. conseq. Nam Spiritus sanctus assitit infallibiliter Ecclesiæ definienti, non ut per eam novas revelationes condar, seu ut per eam aliqua de novo reveler, quæ nullo modo secundum propriam rationem fuerint olim revelata; sed ut per eas revelationes olim factas vel explicet, vel statuat, vel extendat & applicet ad aliqua particularia, quæ in illis etiam secundum propriam rationem aliquo modo continentur; sicque revelationes olim factas configurat in ratione revelationum proximè sufficientium, & obligantium ad explicitè credendum aliquid, quod antea non credebatur, vel non nisi implicitè credebatur propter insufficientem propositionem vel applicationem revelationis.

Obj. 2. Deus à tempore Christi & Apostolorum aliqua tum privatim tum publicè revelavit. Et 1. quidem quod aliqua privatim revelavit, constat ex variis historiis sanctorum fide dignis. 2. Quod etiam aliqua publicè revelavit, certum est ex miraculis; imò & vocibus de cælo mirabiliter delapsis attestatus est eximiam aliquorum sanctitatem, quam per signa illa Ecclesiæ manifestari voluit. Ergo etiam ex tempore Christi & Apostolorum, Deus per se ipsum novos simpliciter articulos condidit. *Resp. neg. conseq.* Nam veritates illæ de novo revelatæ, aut non pertinent ad corpus & substantiam fidei, aut non sunt nisi extensio articuli antea per Christum vel Apostolos revelati.

RESPONSIO III.

Ex tempore Christi & Apostolorum, articuli nostræ fidei creverunt secundum quid.

Prob. Nam Ecclesia hæcenus ex tempore Christi & Apostolorum, condidit novos secundum quid articulos, explicando, certificando, extendendo revelatio-

L nes

nes & traditiones divinas ad aliqua objecta particularia, pertinentia ad corpus & substantiam fidei, explicite credenda, & indubitata fide tenenda post hanc explanationem vel extensionem factam ab Ecclesia, cui in ejusmodi explanationibus vel extensionibus Spiritus sanctus assistit infallibiliter.

Obj. Ex S. Thoma hic q. 1. a. 10. ad 1. *In doctrina Christi & Apostolorum veritas fidei est sufficienter explicata.* Ergo à tempore Christi & Apostolorum, articuli fidei nequidem secundum quid creverunt per explanationem vel extensionem revelationum & traditionum divinarum. *R.* neg. conf. Nam ut Christus & Apostoli dicantur sufficienter explicasse veritates fidei, necesse non est ut tunc veritates fidei generales extenderint ad omnia objecta particularia, ad quæ eas postea extendi oportuit; sed satis est quod tunc veritates illas generales discrete tradiderint, & simul docuerint Ecclesiam infallibilem esse in suis explanationibus & extensionibus, & sic tradiderint certam regulam, quæ cetera certo possent cognosci: quod utrumque præstiterunt, ideoque recte dicuntur veritates fidei sufficienter explicasse.

Dices 1. Ad dignitatem Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ pertinuit, ut omnes veritates fidei explicite cognoscerent. *Resp.* Ad dignitatem Apostolorum & primitivæ Ecclesiæ pertinuit, ut explicite cognoscerent omnes fidei veritates, quarum explicite cognitio ad bonum illorum statum necessaria erat; cuiusmodi non fuit cognitio aliquorum, ad quæ successu temporis extendi & applicari oportuit revelationes generales, propter insurgentes controversias vel hæreses.

Dices 2. Non expedit, ut Ecclesia potestatem habeat condendi novos articulos fidei, & onus fidei novum imponendi fidelibus; quasi veritates fidei à Christo & Apostolis traditæ non sufficiant. *R.* non expedit, ut Ecclesia potestatem habeat condendi novos simpliciter articulos fidei, proindeque Ecclesiam talem potestatem non habere: at expedit ut Ecclesia habeat, unde & habet potestatem condendi novos secundum quid articulos, revelationes, & traditiones divinas statuendo, explicando, & applicando ad objecta particularia, quibus conveniunt; quia hoc necessarium est ad vitandos errores, ad extirpandas hæreses, & dirimendas fidei controversias, ut supra dictum est.

Dices 3. Joan. cap. 16. dicitur: *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* *R.* Spiritum sanctum docuisse Apostolos omnes fidei veritates, quatenus docuit illos omnes veritates fidei generales, & simul se per infallibilem assistentiam adfuturum Ecclesiæ in veritatum illarum generalium explanationibus & determinationibus ab ea faciendis successu temporis, ad extirpandas hæreses & controversias dirimendas; illas tamen explanationes & determinationes veritatum generalium ab Ecclesia successu temporis faciendas non docuit eos, quia hoc minime necessarium fuit ad convenientem eorum & Ecclesiæ primitivæ statum; & quamvis supponeretur eos docuisse, ipsi certissime dicendi essent non illas docuisse primos fideles: quis enim dixerit Apostolos docuisse primos fideles v.g. Concilium Tridentinum sæculo decimo sexto habendum, fore Oecumenicum Concilium? quod tamen nunc pertinet ad corpus & substantiam fidei, & fide indubitata ac divina tenendum est. Omnis enim fidei regula, quale est omne Concilium Oecumenicum, fide indubitata ac divina teneri debet, & ad corpus ac substantiam fidei pertinet.

Dices 4. Concilium Tridentinum sess. 4. decreto 1. dicit omnem salutarem doctrinam, & morum disciplinam contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis, Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; eodemque loco vocat Evangelium fontem omnis veræ & salutis doctrinæ, & morum disciplinæ.

R. ita loqui, & recte loqui Concilium, quia in

libris canonicis, & traditionibus non scriptis, continentur veritates generales, quæ sub se particulares omnes complectuntur, & simul commendatur auctoritas & infallibilitas Ecclesiæ in explicandis vel applicandis veritatibus illis generalibus; item continentur principia morum generalia, & simul commendatur auctoritas & infallibilitas Ecclesiæ in applicandis illis principiis, & statuendo de moribus. Unde fit ut omnis salutis veritas, & morum disciplina contineatur explicite vel implicite in libris Canonicis, & traditionibus non scriptis, sive in doctrina Christi & Apostolorum, tam scripta, quam non scripta.

Similiter Concilium recte vocat Evangelium fontem omnis veræ ac salutis doctrinæ, & morum disciplinæ; quia commendat traditiones non scriptas, & infallibilitatem Ecclesiæ in explicandis vel applicandis veritatibus & principiis morum generalibus, quæ partim in Evangelio, partim in Traditionibus non scriptis continentur. Unde omnis salutis doctrina, & morum disciplina merito attribuitur Evangelio, velut fonti, ex quo derivantur; quamvis re ipsa non habeatur explicite omnis salutis veritas & morum disciplina sine explanationibus & applicationibus ab Ecclesia factis.

ARTICULUS V.

Utrum ea, quæ deducuntur ex principiis revelatis, sint in objecto materiali fidei, & possint ac debeant credi fide divina.

RESPONSIO I.

Conclusio legitime deducta ex duabus præmissis credibiliter revelatis, potest credi fide divina.

Prob. Nam habet omnia requisita ad hoc ut possit credi fide divina. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. Est revelata etiam formaliter, quamvis confusè & implicite. 2. Est revelata credibiliter. 3. Est sufficienter proposita ut revelata. Ergo, &c.

Prob. 1. pars ant. Conclusio legitime deducta ex duabus præmissis, est de conceptu integro & adæquato præmissarum illarum, ex quibus legitime deducitur, ut ostendi potest facili inductione. Hinc posito assensu præmissarum, assensus conclusionis legitime ex illis deductæ necessarius est saltem necessitate specificationis. Ergo conclusio legitime deducta ex duabus præmissis, continetur in illis formaliter, quamvis confusè & implicite, & consequenter est revelata etiam formaliter, quamvis confusè & implicite, si duæ illæ præmissæ sunt formaliter revelatæ.

Prob. 2. pars ant. Nam, ut supponitur, duæ præmissæ, ex quibus conclusio deducitur, sunt revelatæ credibiliter. Ergo & ipsa conclusio est credibiliter revelata; cum una & eadem sit conclusionis & præmissarum revelatio.

Prob. 3. pars ant. Nam hoc ipso, quod conclusio legitime deducitur ex duabus præmissis revelatis, sufficienter ostenditur esse de conceptu integro & adæquato præmissarum revelatarum, atque ita esse de integro & adæquato sensu revelationis; & consequenter sufficienter ostenditur & proponitur ut revelata etiam formaliter, licet confusè & implicite.

Conclusio igitur legitime deducta ex duabus præmissis formaliter revelatis, habet omnia requisita ad hoc ut possit credi fide divina. Talis est conclusio hujus syllogismi: Deus creavit mundum. Christus est Deus. Ergo Christus creavit mundum. Et istius: Omnes Apostoli acceperunt Spiritum sanctum. Petrus fuit Apostolus. Ergo Petrus accepit Spiritum sanctum. Quæ conclusiones proculdubio credi possunt fide divina, & appetitive certissime propter revelationem, in qua formaliter, quamvis confusè & implicite continentur, & contineri sufficienter deprehenduntur per legitimam illarum ex præmissis credibiliter revelatis illationem.

RES-

RESPONSIO II.

Conclusio legitime deducta ex maiore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed certa certitudine metaphysica, vel physica, potest credi fide divina.

Prob. Nam talis conclusio habet omnia requisita, ut accedente imperio voluntatis, fide divina credatur. Ergo, &c. *Prob. ant.* 1. enim est revelata formaliter implicite. 2. Est revelata credibiliter. 3. Est sufficienter proposita, ut revelata credibiliter. Ergo, &c.

Prob. ant. quoad 1. partem. Nam conclusio, quae legitime deducitur ex maiore universali, est de integro & adequato conceptu illius. Ergo conclusio, quae legitime deducitur ex maiore universali revelata, est de integro & adequato sensu revelationis, qua maior illa revelatur. Ergo hoc ipso quod maior universalis est formaliter explicite revelata, simul & indivisibiliter, conclusio, quae ex illa maiore legitime deducitur, est revelata formaliter implicite.

Prob. 2. pars ant. Nam, ut supponitur, maior universalis revelata est credibiliter. Ergo & conclusio, quae ex illa legitime deducitur: nam revelatio maioris universalis est revelatio conclusionis, legitime ex illa deducta, ut probatum est.

Prob. 3. pars ant. Hoc ipso quod conclusio legitime deducitur ex maiore universali revelata, ostenditur esse revelata formaliter implicite: nam ostenditur contineri sub illa, & esse de illius integro & adequato conceptu, proindeque esse de integro & adequato sensu revelationis. Ergo hoc ipso quod conclusio legitime deducitur ex maiore universali revelata, per minorem certam metaphysicè vel physicè, certo ostenditur certitudine metaphysica vel physica, esse revelata formaliter implicite, & consequenter sufficientissime ostenditur & proponitur ut revelata formaliter implicite, & quidem per revelationem credibilem, supposito quod maior universalis sit revelata credibiliter.

Conclusio igitur legitime deducta ex maiore universali revelata credibiliter, per minorem certam metaphysicè vel physicè, habet omnia requisita ad hoc, ut accedente imperio voluntatis, fide divina credatur, ac proinde potest credi fide divina. Hinc quilibet nostrum potest fide divina credere se aliquando moriturum: nam quilibet nostrum potest sic argumentari: Omnis homo est mortalis. Ego sum homo. Ergo ego sum mortalis: in quo syllogismo maior est universalis, & formaliter explicite revelata credibiliter, Hebr. cap. 9. verbis illis: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*. Minor vero est certa physicè. Similiter, qui legitime baptizavit infantem, potest fide divina credere infantem illum esse in statu gratiae; & si infans statim moriatur post baptismum, potest fide divina credere illum esse salvatum; quod etiam potest, etsi infans non statim post acceptum baptismum moriatur, modo moriatur ante usum rationis. Item qui sibi conscius est peccati mortalis, potest fide divina credere se esse privatum gratia sanctificante, & si moriatur impoenitens, supplicii aeterni addicendum.

Obj. 1. Idem iudicium esto de omnibus aliis syllogismis, quorum conclusio dicitur posse credi fide divina, ac de isto: Omnis homo est mortalis. Petrus est homo. Ergo Petrus est mortalis. Atqui in isto syllogismo, conclusio non potest credi fide divina. Ergo, &c. *Nego min. Probabis.* In isto syllogismo minor non potest credi fide divina: non enim est revelata. Ergo nec conclusio: nam conclusio sequitur debiliorem praemissam. *R. neg. conf. Ad prob. dist.* Conclusio sequitur debiliorem praemissam, si sumatur formaliter, hoc est, prout deducitur ex praemissis, & illis ut artificiosè dispositis, tanquam motivo assentiendi innititur, C. Si sumatur materialiter tantum, hoc est, non prout deducitur ex praemissis, & propter illas creditur, sed solum ut per illas sufficienter ostenditur esse revelata credibiliter, N.

Itaque conclusio in allato syllogismo potest sumi dupliciter. 1. formaliter, & prout deducitur ex praemissis.

Simonet Theol. Tom. II.

sis, artificiosè dispositis, & sic sumpta non potest credi fide divina quia sic sumpta creditur solum propter ipsas praemissas artificiosè dispositas, & sic connexas cum ejus veritate. 2. Materialiter, & prout immediate subjacet revelationi credibili, ipsi per praemissas evidenter applicatae, & sic potest credi fide divina, potest enim intellectus ex imperio voluntatis illi assentiri assensu appetitativo certissimo propter revelationem credibilem, cui immediate subjacere evidenter per praemissas cognoscitur, cum ad hoc nihil desit requisitum. Immediate autem subjacere revelationi credibili evidenter cognoscitur per praemissas, hoc ipso, quod per minorem particularem evidentem evidenter deducitur ex maiore universali revelata credibiliter: nam hoc ipso evidenter cognoscitur esse formaliter implicite revelata in maiore, & consequenter immediate subjacere revelationi, qua maior est revelata credibiliter.

Dices. Gratis dicitur conclusionem in allato syllogismo esse revelatam formaliter implicite in maiore revelata. *R. neg. Probabis.* Cum Deus revelavit omnem hominem esse mortalem, non revelavit Petrum esse hominem. Ergo nequidem implicite revelavit illum esse mortalem. *R. neg. confeq.* Nam ad hoc ut Deus revelando omnem hominem esse mortalem, revelaret implicite Petrum esse mortalem, sufficit quod Petrus sit homo, quia hoc ipso quod Petrus est homo, haec propositio, Petrus est mortalis, continetur formaliter implicite in illa, Omnis homo est mortalis; & consequenter hoc ipso quod Petrus est homo, qui dicit, Omnis homo est mortalis, dicit formaliter implicite, Petrus est mortalis.

Amplius. Hoc ipso quod Petrus est homo, participat rationem communem, significatam per subiectum hujus propositionis, Omnis homo est mortalis. Ergo hoc ipso quod Petrus est homo, subiectum hujus propositionis, Omnis homo est mortalis, supponit pro Petro, proindeque Petrus continetur formaliter implicite in hac propositione, Omnis homo est mortalis. Nam propositio universalis continet formaliter implicite omnia singularia, quae participant rationem communem, significatam per ejus subiectum, & pro quibus proinde subiectum ejus supponit. Ergo hoc ipso quod Petrus est homo, de eo formaliter implicite affirmatur quod sit mortalis, cum dicitur, Omnis homo est mortalis. Quod praesertim verum est respectu Dei, qui cum dicit omnem hominem esse mortalem, actu cogitat de omnibus singularibus, pro quibus supponit subiectum propositionis.

Instabis. Conclusio in allato syllogismo non sequitur per se & immediate ex maiore revelata, sed solum mediate & per accidens, ratione scilicet minoris particularis, naturaliter cognita. Ergo conclusio in allato syllogismo non est magis revelata, quam minor illa particularis. *R. conclusionem in allato syllogismo non deduci ex maiore revelata, nisi mediante minore particulari, sed deduci per se, & contineri formaliter immediate in maiore revelata, & hanc continentiam evidenter apparere per minorem particularem, qua mediante, conclusio ex maiore revelata deducitur per se; sicque per minorem particularem subsumptam evidenter apparere conclusionem in allato syllogismo esse revelatam formaliter implicite in maiore revelata. Unde neg. confeq.*

Instabis. Conclusio in allato syllogismo non potest participare esse revelatum, nisi per minorem particularem subsumptam. Ergo conclusio non est magis revelata, quam minor particularis subsumpta. *R. neg. ant.* Nam conclusio in allato syllogismo participat esse revelatum hoc ipso, quod continetur formaliter implicite in maiore revelata: hoc ipso enim est de integro & adequato sensu revelationis, qua maior revelata est; quamvis hoc non cognoscatur evidenter, nisi per minorem particularem subsumptam, cujus totum munus est applicare conclusioni revelationem majoris relatè ad nos, hoc est, nobis evidenter ostendere conclusionem esse formaliter implicite

L 2 reve-

revelatam in maiore revelata; proindeque prudenter credi posse assensu super omnia firmo propter revelationem maioris.

RESPONSIO III.

Conclusio legitime deducta ex maiore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed evidente evidentiā magna morali absoluta, & respectu omnium excludente omnem prudentem dubitationem, est in objecto materiali fidei respectu omnium, & potest ab omnibus credi fide divina.

Prob. Nam 1. talis conclusio est revelata formaliter implicite in maiore universali revelata credibiliter. 2. Quod ita sit revelata, evidens est evidentiā magna morali absoluta, & respectu omnium excludente omnem prudentem formidinem, & consequenter est etiam respectu omnium sufficientissime explicata & proposita, ut revelata formaliter implicite in maiore revelata credibiliter. Ergo habet etiam respectu omnium quidquid requiritur ut possit credi fide divina, Ergo, &c. Hinc ab omnibus sufficienter instructis potest & debet fide divina credi Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam; quia ex una parte credibiliter revelatum est Ecclesiam illam esse veram Ecclesiam, quae est una, sancta, catholica, & apostolica; & ex altera parte evidens est evidentiā magna morali, characteres ipsos soli Ecclesiae Romanae convenire.

Obj. Adultus suscipiens baptismum, non potest credere fide divina se justificatum esse; quamvis credibiliter revelatum sit omnibus baptismum debite suscipientibus gratiam conferri, & evidentiā moralem habeat se baptismum cum dispositionibus requisitis suscepisse. Ergo, &c. R. adultum illum non habere evidentiā illam magnam moralem, de qua loquimur, & quae sufficit ad excludendam omnem prudentem formidinem de opposito: potest enim prudenter dubitare de valore vel effectu sui baptismi, & prudenter dicere: Fortasse baptismum non suscepit, aut inutiliter suscepit; potest, inquam, propter hanc rationem generalem, quod, quamvis rarissime, contingat baptismum invalide conferri ob defectum intentionis in ministro, aut sine effectu suscipi ob defectum dispositionum in suscipiente, ipso non advertente.

Porro quia non habet rationem ullam particularem, propter quam possit prudenter dubitare de valore sui baptismi, & ita non potest prudenter dubitare de valore sui baptismi, quantum requiritur ad prudentem illius iterationem, etiam sub conditione; habet quidem certitudinem de valore baptismi sui moralem aliquam & late dictam, per quam excluditur omnis anxietas animi circa valorem baptismi, & ejus iteratio etiam sub conditione illicita redditur, sed non habet certitudinem, per quam revelatio maioris revelata possit sufficienter applicare conclusioni, quae ex illa maiore deducitur, ad hoc ut possit fide divina credi; cum non obstante illa, quam habet, certitudine, prudenter dubitetur, quod conclusio contingatur in maiore revelata.

RESPONSIO IV.

Conclusio legitime deducta ex maiore universali omnino certa, licet non revelata, & ex minore omnino absolute revelata credibiliter, fide divina credi potest.

Prob. Illud potest credi fide divina, quod potest credi propter revelationem credibilem. Atqui conclusio legitime deducta, &c. potest credi propter revelationem credibilem. Ergo, &c. *Prob. min.* Illud potest credi propter revelationem credibilem, quod habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, & hanc connexionem habere certissime cognoscitur. Atqui conclusio legitime deducta, &c. habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, & hanc connexionem habere certissime cognoscitur: nam 1. habet necessariam connexionem cum veritate minoris, quae omnino absolute revelata est credibiliter, ut supponitur. 2. Hanc cum veritate minoris connexionem

habere certissime cognoscitur per maiorem universalem omnino certam. Ergo, &c.

Hinc fide divina credi potest conclusio huius syllogismi: Omnis homo est risibilis. Christus est homo. Ergo Christus est risibilis. Item fide divina credi potest conclusio istius: Omnis homo habet voluntatem humanam. Sed Christus est homo. Ergo Christus habet voluntatem humanam: nam in utroque syllogismo conclusio habet necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis: habet enim necessariam connexionem cum veritate minoris revelata credibiliter. Præterea, quod habeat necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, evidens est evidentiā magna morali absoluta: evidens enim est evidentiā magna morali absoluta eam habere necessariam connexionem cum veritate minoris revelata credibiliter: nam tam evidens est eam habere connexionem necessariam cum veritate minoris revelata, quam est evidens maiorem universalem esse veram. In utroque autem syllogismo maior est evidens evidentiā magna morali absoluta, & respectu omnium sufficiente ad excludendam omnem prudentem formidinem. Ergo in utroque syllogismo conclusio habet omnia requisita, ut possit credi fide divina.

Obj. In hoc syllogismo: Omnis homo est risibilis. Christus est homo. Ergo Christus est risibilis: conclusio non est revelata. Ergo non potest credi fide divina. R. dist. ant. Conclusio non est revelata formaliter & immediate, nequidem implicite, C. ant. Non est revelata virtualiter & mediate. N. ant. Itaque hæc conclusio, Christus est risibilis, non est quidem revelata formaliter & immediate etiam implicite, quia non continetur formaliter implicite in illa propositione universali explicitè revelata. At est revelata virtualiter & mediate, mediante scilicet minore syllogismi revelata credibiliter; cum enim habeat necessariam connexionem cum veritate revelationis credibilis, tam est dignum assensu super omnia firmo propter revelationem illam, quam si esset revelatum formaliter & immediate, sive implicite, sive etiam explicitè, modo omnino certum sit, quod hanc connexionem habeat, proindeque revelatum est virtualiter & æquivalenter; hoc est in ordine ad obtinendum assensum super omnia firmum, habet virtutem revelati formaliter & immediate, eique æquivaler.

Dices. Actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, non est certior, quam actus quo creditur hæc maior non revelata. Omnis homo est risibilis. Sed actus, quo creditur hæc maior non revelata. Omnis homo est risibilis, non habet certitudinem fidei. Ergo nec actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, qui proinde non magis est actus fidei divinae, quam alter. R. dist. maj. Actus quo creditur hæc conclusio &c. quando intellectus assentitur conclusioni propter præmissas artificiosas inter se dispositas, C. maj. Unde tunc actus, quo creditur conclusio, non est, nec potest esse actus fidei divinae. Quando intellectus assentitur conclusioni propter connexionem necessariam, quam habet cum veritate revelationis, qua una est præmissis revelata est credibiliter, N. majorem: tunc enim actus, quo creditur conclusio, habet certitudinem appetitativè summam, quia tunc voluntas ex pio credulitatis affectu intellectum efficaciter applicat ad assentiendum conclusioni assensu super omnia firmo propter revelationem, tempore autem saltem natura prius sufficienter applicatam conclusioni per evidentem assensum maioris non revelata. Tunc ergo actus, quo creditur conclusio, est actus fidei divinae.

At inquit. Certitudo actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, etiam propter necessariam connexionem, quam habet cum revelatione minoris revelata credibiliter, fundatur in certitudine actus, quo creditur hæc maior non revelata, Omnis homo est risibi-

risibilis. Ergo non potest esse major: nam ædificium non potest esse firmius fundamento. R. neg. ant. Nam certitudo actus, quo creditur hæc conclusio, Christus est risibilis, propter necessariam connexionem, quam habet cum revelatione minoris revelatæ credibiliter, fundatur in sola auctoritate primæ veritatis revelantis, & solum supponit evidentem assensum majoris non revelatæ, ut sufficientem applicationem revelationis ad conclusionem, sine qua applicatione voluntas non posset prudenter imperare intellectui, ut assentiatur conclusioni assensu super omnia firmo propter auctoritatem primæ veritatis revelantis.

RESPONSIO V.

Generaliter omnis conclusio legitimè deducta ex una præmissa absolute revelata credibiliter, & ex altera omnino certa, & consequenter evidente evidentiæ vel metaphisicæ, vel physica, vel magna morali absoluta, est de fide quoad potentiam credendi, imò & quoad credendi obligationem, saltem post definitionem & præceptum Ecclesiæ.

Sequitur ex dictis hætenus. Et verò omnis ejusmodi conclusio est credibiliter revelata vel formaliter implicite, vel saltem virtualiter, & talem esse certum est respectu omnium certitudine excludente omnem prudentem dubitationem. Ergo, &c. Hinc de fide est, & quoad potentiam, & quoad obligationem credendi, quod Christus habeat corpus verum, & non apparens tantum; quod Christus habeat animam rationalem; quod Christus habeat voluntatem humanam; quod omnia & singula mortalia, quorum memoria habetur post diligentem conscientiam discussionem, sint constituenda in Sacramento Pœnitentiæ; quod Ecclesia Romana sit vera Christi Ecclesia, &c.

Item de fide est saltem quoad potentiam credendi pro unoquoque nostrum, quod sit moriturus; quod sit resurrecturus ante extremum judicium; quod pro ipso Filius Dei descenderit de cœlis, &c. Dixi, saltem quoad potentiam credendi, quia fortè unicuique nostrum sufficit, si confusè credat se moriturum, resurrecturum, pro ipso Filium Dei descendisse de cœlis, &c. credendo scilicet statutum esse omnibus hominibus mori, mortuos omnes resurrecturos ante diem judicii, Filium Dei pro nobis descendisse de cœlis, ut dicitur in Symbolo, &c.

Item hoc ipso quod de fide est unum è duobus contradictoriis vel contrariis esse verum, quia scilicet credibiliter revelatum est, ut verum; hoc ipso, inquam, de fide est, quod alterum sit falsum, quia hujus falsitas habet necessariam & evidentem connexionem cum veritate revelationis, qua illud credibiliter revelatum est ut verum, & consequenter hoc fide divina credi potest esse falsum propter eandem revelationem, propter quam illud fide divina creditur esse verum.

Quæres. Quid sit sentiendam de conclusione, quæ legitimè deducitur ex una præmissa revelata credibiliter, & altera non revelata, sed verisimili, aut evidente evidentiæ morali magna respectivè.

R. 1. Si altera præmissa, non revelata, sit evidens evidentiæ morali magna respectivè, conclusio est de fide, saltem quoad potentiam credendi, respectu eorum, pro quibus ad credendum fide divina sufficit evidentiæ morali magna respectivè: nam respectu eorum, revelatio, per quam altera præmissa revelata est credibiliter, sufficienter applicatur conclusioni, sufficienterque conclusio proponitur ut credibiliter revelata vel formaliter implicite, si præmissa revelata, sit propositio universalis; vel saltem virtualiter, si præmissa revelata est propositio particularis.

R. 2. Si altera præmissa non revelata, est solum verisimilis, hoc est, nixa aliquo gravi fundamento, sed non habente evidentiæ moralem magnam relativam, nec respectivè excludentem omnem prudentem dubitationem, tunc conclusio non est de fide, etiam quoad potentiam credendi, quia tunc non potest prudenter credi assensu super omnia firmo propter revelationem præmissæ revelatæ credibiliter, in qua tamen revela-

Simonnet Theol. Tom. II.

tione implicite contineri vel cum ea connexam esse supponimus; non potest, inquam, propter defectum sufficientis applicationis; quia videlicet non constat sufficienter illam contineri formaliter implicite in præmissa revelata, aut cum ejus veritate necessariam habere connexionem. Tunc igitur conclusio est verisimiliter de fide quoad se, hoc est, tunc solum verisimile est quod conclusio participet rationem formalem fidei divinæ. Unde qui verisimiliter negant hanc conclusionem esse de fide, aut esse ullo modo revelatam, non sunt hæretici nequidem materialiter.

DISPUTATIO III.

De Actu interno fidei.

ARTICULUS I.

Utrum actus fidei divina sit certus, & quanta sit ejus certitudo.

NOta. Certitudo formalis, de qua hic agitur, includit duo, infallibilitatem scilicet, & firmitatem actus formaliter assecurantis intellectum de veritate objecti. Infallibilitas actus est ejus necessaria conformitas cum objecto; firmitas verò, adhesio ad objectum, excludens omnem actualem dubitationem in eo posita quod actus saltem virtualiter & exercite asserit objectum non posse aliter se habere. Itaque actus certus est actus necessariò conformis objecto, & ita adherens illi, ut excludat omnem actualem dubitationem circa illud. Hinc actus erroneus non est certus, quantumvis firmiter adhareat objecto ut vero, quia non est conformis, & multo minus necessariò conformis est objecto. Hinc etiam actus opinativus, quo quis credit Deum existere, non est certus, licet sit necessariò verus, & tanta necessitate verus, quanta Deus existit, quia non sic adheret objecto suo, ut sit impossibilis cum omni actuali dubitatione.

Nota iterum. Certitudo formalis non consistit in indivisibili, sed admittit magis & minus tum ex parte infallibilitatis, tum ex parte adhesionis ad objectum. Nam 1. infallibilitas actus eo major est, quo sunt plura & infallibiliora principia, ex quibus oritur. 2. Firma ad objectum adhesio alia major est intensivè, alia minor. Item alia major est appetitivè, alia minor. Eò autem firma adhesio ad objectum major est appetitivè, quod veritas judicata pluribus aliis veritatibus etiam certis præfertur, quod fit per assensum appetitivè majorem, virtualiter saltem & exercite judicando alias veritates, quantumvis certas & evidentes, potius negandas, aut in dubium revocandas, supposito quod ex imperio voluntatis negari aut in dubium revocari possent, quam veritatem judicatam, quando cum ea pugnare viderentur.

Nota 3. Cum inter veritates aliæ sint per se notæ & evidentes, aliæ verò non, & eatenus obscuræ, quæ intellectui proponuntur tantum per motiva moraliter evidentiæ, firma ad objectum adhesio duplex est, una necessaria, & altera libera. Necessaria oritur ex evidentiæ objecti per se noti, debite apprehensæ, & excludit non solum omnem dubitationem actualem, sed etiam omnem potentiam dubitandi. Libera oritur saltem ex parte à libero nutu voluntatis, prudenter applicantis & determinantis intellectum ad assentiendum objecto ut vero: ita ut per actum suum virtualiter saltem & exercite judicet illud non posse aliter se habere; quæ adhesio, cum sit libera, sic excludit omnem dubitationem actualem, ut relinquat potentiam dubitandi antecedentem, quia relinquit in voluntate potentiam antecedentem non applicandi & determinandi intellectum ad actum impossibilem cum omni dubitatione actuali.

Dixi autem, voluntatis prudenter applicantis, &c. Nam si voluntas imprudenter applicat & determinat

L 3 intel-